

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Politische Urkunden von 1266 bis 1332

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1886

1283

[urn:nbn:de:bsz:31-326704](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326704)

93. *Die Franciskaner zu Straßburg beurkunden ihre Verpflichtungen der Stadt gegenüber betreffend Erbschleicherei. 1283 [Juli 9].*

Nos frater Theodericus fratrum minorum Alemanie provincialis minister et servus, frater Sifridus gardianus totusque conventus domus Argentinensis notum facimus universis, ad quos pervenerit noticia subscriptorum, quod nos venerabilibus in Christo dominis . . magistro consulibus ac universitati civitatis Argentinensis predicte dedimus litteras de verbo ad verbum tenorem hujusmodi continentes¹: nos frater Theodericus minister et servus fratrum minorum Alamanie et frater Sifridus gardianus totusque conventus fratrum minorum in Argentina notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod, licet honorabiles domini . . magister et consules ac universitas civitatis Argentinensis a nobis nunquam molestati vel offensi fuerint in articulis infrascriptis, prout etiam ipsi ob eorum meram honestatem et urbanitatem recognoverunt communiter coram nobis ac publice sunt professi, nos tamen ob eorum amicitiam et favorem ac instanciam seriosam ipsis promittimus et promisimus bona fide, omni dolo et fraude circumscriptis penitus et exclusis, quod nos vel fratres nostri aliqui, sive sint clerici sive layci, ab aliquo cive Argentinensi nobis quacumque consanguinitatis linea attinente nunquam petemus sive de mobilibus sive de immobilibus jure successionis hereditariam portionem. item promissimus et promittimus per presentes, quod nunquam per nos vel per alios civem aliquem Argentinensem virum vel mulierem in lecto egritudinis constitutum inducemus vel induci procurabimus, ut omnia bona sua mobilia et immobilia pro anime sue remedio nobis leget, ita quod heredes sui legitimi portione legitima penitus defraudentur. promissimus etiam et promittimus, quod, si aliquis civis Argentinensis possessionem immobilem aut domum aliquam usibus seu necessitati fratrum deputaverit, nos possessionem illam aut domum vendi procurabimus absolute et simpliciter absque omni condicione et pacto tali videlicet, quod post mortem ementis ad nos vel quemcumque nomine nostro iterum revertatur. porro ut dictorum dominorum favor et gratia, quam nobis multis retroactis temporibus magnis et variis beneficiis multipliciter ostenderunt, erga nos inviolabiliter perseveret et pax inter nos et ipsos in perpetuum conservetur, promissimus et promittimus dominis memoratis, quod nunquam aliquem juvenem^a filium^b alicujus civis Argentinensis infra decimum octavum etatis sue annum, quantum cum deo possumus, et salva nostri ordinis honestate ad ordinem nostrum recipiemus nec de parentum seu consanguineorum suorum proximorum beneplacito et assensu². in hujus rei testimonium et perpetuam firmitatem

a) *S juv auf Rasur.* b) *S die letzten vier Striche des filium auf Rasur.*

¹ *Die folgende Urkunde ist die lateinische Version von nr. 92. Es lässt sich jetzt nicht mehr entscheiden, ob der ursprüngliche Text der Verpflichtung, welche die Franciskaner der Stadt gegenüber eingingen, deutsch oder lateinisch war. Für das erste spricht das genaue Datum, das hier fehlt, eine gewisse Freiheit des Ausdrucks und ferner das in nr. 120 inserirte Stück, bei dem allerdings auch das Datum mangelt. Deshalb sind beide Versionen gegeben, die deutsche freilich in der Sprache des ausgehenden 14. Jahrhunderts.*

² *Ist die Form des Ausdrucks nur ungeschickt oder ist hier das Gegentheil von der deutschen Fassung gesagt?*